SANCTI
ISIDORI PELUSIOTÆ
DE
INTERPRETATIONE
DIVINÆ SCRIPTURÆ
EPISTOLARUM

Editio Prima Veneta Latina

AUCTIOR ET EMENDATIOR

Cui præter notas Conradi Rittershusii, & Andreæ Schotti, adjiciuntur & notæ aliæ ex Iſidorianis Collationibus Petri Possini diligenter excerptæ.

VENETIIS
MDCCXLV.

Sumptibus Casparis Ronconellæ.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

REVERENDISS.^MO PATRI
JOSEPHO MARIÆ SARDI
ORD. CARM.
SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,

In Patavino Lyceo Doctori Colleg. ac Venetæ Provinciæ
Optime merito Exprovinciali.

GASPAR RONCONELLA

S. P. D.

FAuſte ac feliciter auſpicatum me ſemper exiſtimavi, quum typographicam ſuſciperem, a ſacris, doctiſſimis, ac pientiſſimis auctoribus initium faciens. E frequenti eorum cœtu, quo Sancta Eccleſia noſtra ubique refulget ISIDORUM *ſelegi, nulli pietate, doctrina, eloquio, eruditione ſecundum: cujus inſignes Epiſtolas facili negotio præ manibus habere viros omnes doctos ſummopere deſiderare intellexi. Attamen nunc auſpicia mea ſupremum felicitatis apicem attigiſſe pro certo habeo*, PATER REVEREN-

DIS-

SANCTI PATRIS NOSTRI

ISIDORI PELUSIOTÆ

EPISTOLÆ

JACOBO BILLIO PRUNÆO INTERPRETE.

LIBER PRIMUS.

I.

NILO MONACHO.

SAncti viri, Monaſticæ Philoſophiæ principes & anteſignani, ex ærumnis ac certaminibus, quibus perfuncti ſunt, vocabula quoque rebus congrua, monendi noſtri atque erudiendi cauſſa, impoſuerunt: cum *apotagen*, ſeceſſionem a rebus ex materia concretis, & *hypotagen*, propenſionem ad obediendum nuncuparunt. Atque illi quidem naturam ſolum magiſtram habuerunt. Nos autem, cum eorum quoque res geſtas literarum monumentis proditas habeamus, parvam tamen operationis curam gerimus. Oportet igitur *apotagen*, ſententiæ ejus, qua quiſpiam prius imbutus eſt, oblivionem, atque conſuetudinis abnegationem eſſe: *hypotagen* autem, membrorum, quæ ſunt ſuper terram, mortificationem atque interitum: quemadmodum ſacris literis conſignatum eſt....

II.

DOROTHEO MONACHO.

Carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

Pſal. 17. *Carbones ſuccenſi ſunt ab eo*, hoc eſt, ſancti viri a Deo. Quoniam enim Deus noſter ignis conſumens eſt, idcirco qui per animi puritatem Deum contemplantur, carbones non abs re appellantur, ac luminaria in unoquoque exiſtunt. Hebr. 12

III.

NILAMBONI SCHOLASTICO.

De practica.

Cum ab antiquis viris illud aperte admodum didiceris, quod opinari aliquid eſſe, non eſt aliquid eſſe: cura potius ut facias, ac non tantum dicas.

IV.

TIMOTHEO LECTORI.

Epiſtola hæc paucis immutatis habetur & lib. IV. num. CXCV.

Ex iis certaminibus, quæ abs te obeuntur, vir eximie, hoc perſuaſum habe, res præſentes velut ſtadium quoddam, quod in aſpectum minime cadat, proponi: in quo nobis non cum ſenſilibus feris, ſed cum perturbationibus, quæ animo & ratione intelliguntur, certamen eſt. Quæ quidem ſi robur illud, quo præditi ſumus, ſuperent: non corpori duntaxat periculum creant, verum animæ ipſi mortem acceſſunt: ſin autem ſuperentur, atque in fugam ſe convertant, ingentes coronas ac præ-

CUNRADI RITTERSHUSII EMENDATIONES ET NOTÆ UBERIORES IN EPISTOLAS SANCTI ISIDORI PELUSIOTÆ A JACOPO BIBLIO EDITAS.

Accedunt in hac noviſſima editione notæ aliæ aſteriſco ſignatæ, Iſidorianas Collationes ſelectiores Petri Poſſini ut plurimum referentes.

IN LIBRUM PRIMUM.

AD INSCRIPTIONEM.

IN INTERPRETATIONEM S. SCRIPTURÆ.

HAnc totius operis epigraphen addidi ex Bavar. Cod. cum a Pariſina editione abeſſet. Eam vero genuinam eſſe, Suidas quoque indicat in voce *Iſidorus*, dicens inter alia *Epiſtolas exponentes S. Scripturam 3000. ſcripſiſſe*. Etſi enim non omnes Iſidori Epiſtolæ aliquem ſacræ divinæque Scripturæ locum interpretantur; ſed nonnullæ etiam ſunt exhortatoriæ ad pietatem probitatemque; aliæ dehortatoriæ a vitiis & improbitate, & improborum hominum objurgatoriæ, & ſelitenticæ (*invectivæ*); aliquæ etiam hiſtoricæ, ut proinde his omnibus nova videatur inſcriptio illa pariter convenire. Tamen ad defendendum titulum ſatis eſt dicere, Maximam partem operis in illo argumento conſumi: ut ita hic quoque ab eo res tota denominetur, quod in ipſa latiſſime eſt diffuſum, potiſſimaſque partes obtinet. Poteſt ne vero ullum eſſe hoc ſublimius & Chriſtiano homine dignius argumentum? Quod utinam Iſidoro placuiſſet regulis potius & certis iiſque generalibus obſervationibus ordine traditis, quam per ſaturam, quod dicitur, perque exempla tractare cum per hæc longum ſit iter: per illa compendioſius, etiam Seneca teſte. Non defuerunt tamen vel noſtro ſeculo Viri docti & pii, qui artem interpretandi, conatu certe non niſi laudabili, traderent, eandemque exemplis memorabilibus locorum controverſorum illuſtrarent. Ex antiquis ſcriptoribus vix alium ſcio præter Adrianum, qui *iſagogen* hujus artis nobis reliquit. Quem libellum a D. Hœſchelio noſtro Græce tantum editum olim ſeorſim Græcum pariter Latinumque dabo.

EPIST. I. *Quemadmodum literis conſignatum eſt...*) Videtur mutila eſſe epiſtola, ut a qua deperierit locus Sacræ Scripturæ ab Iſidoro laudatus.

EPIST. II. *ἐν [illegible], in [illegible].*) Sic vertit primus Iſidori noſtri ſoſpitator Jac. Billius. Sed cum procul dubio verior ſit Ms. Bav. lectio, *ἐν κόσμῳ*, etiam verſio hic eſt corrigenda: *in mundo*.

EPIST. V. *Si divina oracula*, &c.) Legit *ἐν [illegible] χρησμοῖς* κ. τ. λ. multo melius. Vertendum igitur: *Quarum rerum accuratam exactamque rationem divina oracula ſignificant: earum ſupervacua eſt curioſa inquiſitio*, &c. ubi duplicem non recte hic puto reddi *ſincerum & perfectum vivendi rationem*. Ita *πολιτείαν* (*politiam*) potius Iſidorus aliique hoc genus ſcriptores uſurpare ſolent.

* EPIST. VIII. *Sic etiam animus.*) Optime animadvertit Poſſinus, juvante Cod. ſuo Vaticano, vocem *animus* in contextu hujus Epiſtolæ minime requiri; ubi ſatis congrue vocabulum *vero* communiter reſumendum ſe offert.

EPIST. IX. *Nocturnæ rerum ſpecies, ut ſcripſiſti, vir diſcendi ſtudioſiſſime, non modo diurnorum congreſſuum & colloquiorum reliquiæ, ac velut extremi ſoni ſunt.*) Imitationem Baſilii M. in Pſalm. 3. & in Martyrem Julittam hic obſervavit D. Hœſchelius notis ſuis accuratiſſimis ad Sapientiam Sirach. c. 31. v. 7. Gregorius Nazianz.

Somnia reſpondent curis nocturna diurnis.

Claudianus:

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Hæc eadem nobis reddit amica quies.

EPIST. XIII. *Veterem legem.*) Multo præſtabilior eſt lectio Cod. Bav. *τὸν πνευματικὸν νόμον* ſecundum quam & lectio corrigenda; *ſpiritualem legem*. Alludit ad locum Prophet. Ezechielis & Hieremiæ de nova lege ſpiritus vitæ (ut Paulus vocat) cordibus piorum a Deo inſcribenda.

EPIST. XVIII. *Vocem hanc* Donec *pro* Perpetuo *in divina Scriptura ſæpe poſitam reperis.*) Eſt utiliſſima & veriſſima hæc obſervatio idiomatis ſacrarum literarum in uſu particulæ DONEC: quam plures SS. Patres uno ore tradiderunt. Gregor. Nazianz. Orat. 2. de Filio: *Verum hæc tibi erroris cauſſa eſt, quod non intelligis hanc vocem ἕως, id eſt uſque (donec) non ſemper futuro tempori apponi, ſed ita interjectum tem-*

pus